



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Disce orare id te doceat examen conscientiae quotidianum practicum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

me deferite in his summis angustiis meis, in hac ultimâ necessitate, à quâ mihi tota penderet **ÆTERNITAS**. Momentum illud jam imminet, in quo salus mea omnis, aut perenne sit exitum. Ah! juvate, & ante regem regum pro me supplices procumbite, & meum mihi oblecto conciliate judicem. Sententiam ego nunc expecto supremam; vos impetrate, ut ea mitis sit & ad vitam. Mortem, quam ego meritus fuisset, æternam, per vestras preces meritaque liceat deprecari. Subvenite Sancti Angeli Dei, subvenite, succurrite, jam jam aderit judex, Christus **JESVS**. Miserere, ô **JESVS**, miserere: per omnes Sanctos Angelos tuos te rogo, **JESVS MISERERE**.

HORA XII.

Disce MORI: id te doceat improvisa mortis irruptio.

MEMENTO, homo nihilum, uti fures in domum illam nunciare non solent, quam horâ noctis duodecimâ, aut primâ, aut secundâ effringere vel suffodere statuerunt; sic nec mortis mos est, certis nunciis præmonere, se tali die aut horâ venturam. Ubique mors est, & semper in propinquo. Vigilate itaque, ô mortales, omni die, omni hora. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Jacob moriturus, collegit pedes suos super lectulum, & mortuus est. Animum tu tuum, ô homo, tuum spiritum tu collige. Ibis brevi, ibis in domum **ÆTERNITATIS**. Punctum est quod vivimus, & adhuc puncto minus. Vita, quam expectamus, verè diuturna, æterna est. Memento mori.

Disce VIVERE: id te doceat lex Familiaritatis cum Deo.

Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Non metuenda est hic familiaritas nimia, quo quis Deo familiarior erit, hoc erit & Deireverentior. Amicos facit animorum conjunctio, & consiliorum communio. Amicus Deo nemo fit, nisi purgatissimis moribus. Hic ego, mi homo, summe oro, tracta causam tuam omnem cum tuorum amicorum optimo, cum Deo tuo. Bene tibi est? de hoc successu Deum consule. Malè tibi est? de hoc ipso nil sine Deo tuo statue, omnia cum hoc amico tuo delibera; tam fidenter cum ipso loquere, quam tu ipse tecum. Suavissimus est hic amicorum & fidelissimus, sed animæ solum Deum querenti. Dei quotiescunque minus fueris memor, mox redi & clama: O mi Deus, ô meorum amicorum amantissime, diem perdidisti, quia præsentiam tuam amisi, tui memoriam neglexi. Scio, eum, qui amicus est, omni tempore diligere: nec ei quidquam esse suavius, quàm esse cum amico. Amicitia quæ vera est, est **ÆTERNA**. Nam, omni tempore diligit, qui amicus est.

Disce ORARE: id te doceat examen Conscientiæ quotidianum practicum.

Tandè, inquit Gregorius, securus quis Dominum expectat, quando quotidie vitam suam suspectis examinat. Eleganter hujus officii submonens Augustinus: in tribunal, inquit, mentis tue ascende contra te, & te reum constatue ante te: noli te ponere post te, ne Deus ponat te ante te. Sapienter & Christianè Seneca: Deprehendas, inquit, te oportet, antequam emendes. Inquire in te: acculatoris partibus fungere, deinde judicis, novissimè deprecatoris. Ideo, quantum potes, te ipse coargue. Aliquando te etiam offende.

Quotidianum examen conscientiæ, orationem esse longè utilissimam, omnium sapientum vox est. Multi quinque illius assignant capita, nemo est qui hunc orandi modum sic doceat, ut is nemini videri possit difficilis. At erit facilissimus volenti doceri: tu modò sic ora, &

Tom. I.

A hoc solum observa, ut post duas primas oratiunculas nonnihil subsistas, & quomodo diem expenderis, cogites.

Ergo si sic oraveris, rem penè omnem factam habebis.

Examinâde conscientiæ capita. Primum.

I.

O Infinita bonitas, gratias tibi ago pro omnibus beneficiis tuis, quæ mihi hodie & totâ vitâ meâ contulisti. Tibi laus & gloria in infinitas sæculorum myriadas.

II.

O Immensa Majestas, da ut quidquid tibi hodie in secundum me displicuit, id mihi in memoriam integrè redeat.

III.

Hic exacte diei cogitata, dicta, facta in memoriam revoca, Tertium. & quid in Deum peccaris, expende.

IV.

O Inexhausta misericordia, ignosce mihi quidquid hodie peccavi contra te. Ego omnes offensas hujus diei, & totius vitæ meæ, in abyssum misericordiæ tuæ depono, & per mortem Filii tui te precor, ô Deus, dimitte mihi quidquid unquam in te peccavi.

V.

Æterna sapientia, Christe **JESVS**, firmissimè propono non peccare amplius.

Et hoc quotidianum est examen conscientie:

Addi possunt hæc.

Pater æternæ, per vitam & mortem Filii tui; per omnem bonitatem tuam te rogo, concede mihi ut in bono perseverem, & in gratiâ tuâ moriar.

Bonæ **JESVS** per extremas illas in cruce voces, quibus Patri spiritum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ.

Spiritus Sancte Deus, miserere mei, & sancta inspiratione tuâ me semper, & potissimum in horâ mortis meæ, adjuva.

Sanctissima Trinitas, unus Deus, miserere mei, nunc & in fine vitæ meæ.

A M E N.

HORÆ NOCTIS.

Exegimus HORAS DIEI; supersunt NOCTIS, quæ uti querior, ita meditationi, quàm dies, aptior est. Idcirco quem per diem docuimus orare, per noctem meditari & considerare docebimus: prius tamen causas assignabimus, quare Angeli tanto amore, totque officiis meritisque sunt colendi.

Causæ cur SS. ANGELI, præ ceteris beatorum ordinibus, summe venerandi.

Causæ cur Angeli præ ceteris ordinibus.

I. Causa, Sacra Biblia.

Plenæ sunt divinæ literæ testimoniis & elogiis, de sunt venerabilissimo statu, deque plurimis SS. Angelorum randi. in nos beneficiis.

II.

Omnis vetus historia amantissima circa nos Angelorum ministeria variè deprædicat.

III. Numerus Angelorum.

Angelorum numerus nobis infinitus, soli Deo est numerabilis: ita innumeros in celo amicos habere poterit, quisquis eos sibi conciliare voluerit.

IV. Angeli, Dei vicarii.

Tam in præcâ quàm in novâ lege vices Dei funguntur Angeli. Frequentissimè promittit Deus: Mittam Angelum meum: Præcedet te Angelus meus: Immitet Angelus Domini, &c.

V. Nobis addidissim.

Angeli nobis benevolentissimi sunt: & hoc unum omnibus suis officiis agunt, ut brevè eis quàm simillimi simus.

C c

VI. Nostra